INNES

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ILEO:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI,

et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE *decreto*;

PRO GRADU DOCTORATUS,

UMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS INNES SCOTO-BRITANNUS.

Ad diem 15 Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud HAMILTON, BALFOUR, et NEILL:
M,DCC,LIII.

VIRO INTEGERRIMO,

D. ALBERTO MUNRO,

AVUNCULO SUO HONORANDO,

IN VARIO ERUDITIONIS GENERE VERSATO,

NON MAGIS OB SUMMAM MORUM

INTEGRITATEM,

QUAM PIETATEM PLANE SINGULAREM

CONSPICUO;

STUDIORUM SUORUM FAUTORI AMICISSIMO,

PROPTER INNUMERA IN SE SUOSQUE COLLATA

BENEFICIA,

AD ROGUM USQUE COLENDO:

THESES HASCE INAUGURALES,

GRATI ANIMI ET OBSERVANTIAE NON SIMULATAE

MONUMENTUM,

PONIT

ROBERTUS INNES.

DISSERTATIO MEDICA

De ILEO.

De Ileo verba facturus, clarioris doctrinae gratia, quaedam de intestinis et motu peristaltico breviter praemittere visum est.

De Intestinorum Situ et Fabrica.

Per Intestina anatomici vulgo intelligunt tubum longum et pene cylindricum inter laminas peritonaei contentum, qui variis gyris et flexionibus a dextro ventriculi orificio, seu pyloro, usque ad anum exporrigitur, ad esculenta et potulenta in ventriculo praeparata, in massam pultaceam mutata, recipiendum, ulterius elaborandum, in vasa lactea, et venas absorbentes transmittendum, faecesque separandum, et ad anum ducendum, destinatus.

Propter diversam intestinorum magnitudinem et crassitiem, in tenuia et crassa dividi solent; illa quidem a pyloro ortum ducunt,

et in principio coli, ſeu caeco, exitum inveniunt; haec autem incipientia, ubi terminant tenuia, ad imum abdomen ſive anum protenduntur.

Inteſtina tenuia vulgo numerantur tria, et tribus inſigniuntur nominibus, nempe, duodeni, jejuni, et ilei, ſunt et totidem craſſa, caecum, colon, et rectum. In inteſtinis tenuibus nullum datur ſignum, praecipue inter jejunum et ileum, quo una inteſtini portio ab altera diſtingui poteſt.

Duodenum, nomen a longitudine adeptum, a ventriculi fine incipit, apud oſtium annulare pylori, inde undulatum, ſed in univerſum tranſverſim, ad veſiculam fellis migrat; tum dextrorſum oblique deſcendit, denique a dextro ad ſiniſtrum latus aſcendens, antrorſum oblique decurrit, et in jejunum terminatur. In inteſtinum duodenum, ductus choledochus et pancreaticus ſeſe exonerant, bilem nempe et ſuccum cavo ejus infundunt. Reliqua inteſtinorum tenuium pars, propter ſedem incertam deſcriptionem non admittens, variis flexionibus, colo ambeunte cincta, abdomen inferius et pelvim replet. Inteſtina craſſa, ut antea obſervatum fuit, tria etiam dicuntur, ſcil. caecum, colon et rectum.

Caecum

Caecum eſt ſaccus iſte irregularis, globoſus, infra ilei ingreſſionem, vel pone valvulam Tulpii extenſus ; ab hujus ima parte, dependet inteſtinulum parvum conicum, quod vulgo nomine *appendicis vermicularis* dignoſcitur. Colon, omnium inteſtinorum ampliſſimum, tria habet ligamenta validiſſima, quibus contrahitur, et in cellulas ingentes diſpeſcitur ; in ileo dextro incipit, et renem ejuſdem lateris aſcendit, oblique ſub hepate flectitur, et utrique viſceri ope peritonaei connectitur ; deinde ventriculo ſubjectum, decurrens ad lienem, porrigitur, tum ſuper renem tranſit ſiniſtrum ; denique in pelvi flexu magno facto, inteſtinum rectum devenit, quod ſine ullo gyro aut anfractu, ad ani extremitatem continuatur.

Ex variis tunicis inteſtina confecta ſunt ; harum extima a peritonaeo producta eſt : inter hanc et tunicam muſcularem invenitur ſubſtantia celluloſa a Ruysch detecta, vulgo nomine *tunicae cellularis.* Secunda carnoſa ex duabus fibrarum ſeriebus componitur, longitudinalium et annularium, quae poſteriores ad angulos rectos priores ſecant. Tertia, vel ea quae vulgo vaſculoſa, nervoſa, et glanduloſa dicitur, ope ſiphonis anatomici, facile in habitum

bitum cellulosum fingi potest, cum vasis innumerabilibus, forte etiam glandulis, Peyerianis, ubique per ejus substantiam distributis. Pori, et ductus excretorii innumeri, super quartam tunicam villosam dictam esse ostendunt, qui patulis osculis in intestinorum cavitatem, lympham et mucum exhalant, ad ingesta attenuanda et intestina lubricanda; sunt et vasa lactea et inhalantia, quae liquidissimum ex chylo absorbent: praeter haec, minores pori ubique per intestina reperiuntur, praecipue in crassis intestinis; nuperrimâ vero industriâ, in tenuibus quoque conspicui, et iisdem usibus cum aliis inserviunt: tunicâ haec amplissima caeteris longior, et undique in rugas innumeras semicirculares eminet, praecipue in intestinis tenuibus, valvulae conniventes nuncupantur in intestinorum contractione, ingestorum iter sistunt; hinc facilior chyli transitus in venas absorbentes et vasa lactea. Existimat celeberrimus Monro *, hancce tunicam esse epidermidis continuationem, et non solum per intestina, sed etiam per omnia corporis vasa, continuatur idem integumentum.

Intestinorum vasa sunt, arteriae et venae meseraicae, arteria mesenterica superior, supra

* Vid. *Med. Essays*, vol. iv. art. xi.

pra emulgentes ex aorta egreditur, et inteſtinis praecipue tenuibus ſanguinem praebet; inferior vero, ab ultimo fere aortae extremo egreſſa, ad inteſtina craſſa potiſſimum abit; ex ambabus hiſce arteriis rami emergunt, qui anaſtomoſin ſatis mirabilem faciunt. Venae, ſicut in omnibus viſceribus chylopoëſi inſervientibus, ſenſim per majores ramos, ſeſe ad venam portarum recipiunt. Duodenum et inteſtinum rectum habent arteias ſibi proprias; duodenum ramum indiſcriminatim a ſtomachica coronaria, pylorica, gaſtrica majori vel hepatica accipit, nec non ramuſculos, ab hiſce truncis, et a meſenterica ſuperiore, quae omnes inter ſe communicant. Inteſtinum rectum, praeter ramos a meſenterica inferiore, arterias quoque accipit, ab haemorrhoidali interna.

Inſtruuntur inteſtina numeroſis et exiguis nervorum filamentis, quae omnia vel plexibus intercoſtalibus, vel meſentericis originem trahunt.

De Motu Peristaltico.

Apud anatomicos conſtat, ut antea obſervatum fuit, inteſtina tunica muſculoſa muniri, duplice

duplice fibrarum ordine conflata, quarum a-
liae aliis ſubjiciuntur; fibrae prioris ordinis
longitudinales ſunt, poſteriores vero inſtar
annulorum diſpoſitae, inteſtina ex omni parte
cingunt, annulares ſeu orbiculares nuncupan-
tur: harum contractione fibrarum abſolvitur
motus inteſtinorum periſtalticus, ſcilicet lon-
gitudinalium contractione, abbreviatur fiſtula
inteſtinalis; orbicularium vero arctatur atque
conſtringitur; ita ut hâc vi mechanicâ inge-
ſtorum pars tenuior, fluidiorque felicius ex-
ſugatur vaſorum lacteorum oſculis, dum pars
craſſior et faeculentior ad podicem uſque ur-
geatur, brevi tanquam inutilis rejicienda.
Multum inter ſe diſſentiunt auctores, quo-
modo motus periſtalticus dictus perficiatur.
Aliqui aiunt *, ſe, dum hanc rem operâ et in-
duſtriâ exploravere, tantum obſervâſſe, ſub-
ſultum quendam tum arteriarum, tum tunicae
inteſtinorum, ſeu motum tremulum, quem
tamen non niſi ope microſcopii percipere po-
tuerunt. A praejudicata opinione et experi-
mentis male inſtitutis certe, in hancce ſen-
tentiam incidit D. Haguenot; quoniam
multis periculis, a viris praeclaris in viva ani-
malia inſtitutis, luculenter ſatis apparebat mo-
tus hicce periſtalticus ſeu vermicularis. Ex-
iſtimant

* Vid. Hiſtoire de l'Academ. Royal. ann. 1713. p. 470.

iſtimant vero alii, fibras circulares a partibus ſuperioribus ad inferiores conſtringi, non ſubito et omnes ſimul, ſed ſucceſſive alii poſt alios, lento tamen gradu a pyloro uſque ad anum. Continuato vero hocce impetu, ſi ad imum uſque a ſummo, ſine ullo obſtaculo, vel levi motu quaſi antiperiſtaltico pergeret contractio, quam, quaeſo, proclivis eſſet chylosi ſucci, cum ſtercoribus confuſi excretio? aut quis ſe immunem evadere a paſſione coeliaca, ad unicam horam polliceri potuit? Quoniam haec autem theoriae noſtrae non bene favent, mihi nunc incumbit, quam breviter, methodum per quam motus iſte perficitur, illuſtrare.

Supponamus tum, compreſſione diaphragmatis, juvante vermiculari ventriculi motu, protruſam aliquam maſſae cibariae partem ad pylorum accedere, ejuſque reſiſtentiam ſuperare, in duodenum ferri; liber vero tranſitus, propter valvulas atque vim inteſtini contractilem, huic denegatus, nerveam inteſtini membranam irritando et vellicando, hanc ita afficiet, ut, propter commercium inter nervos et fibras carneas, ipſis novum contractionis motum impertiet; imminuta vero inteſtini cavitate, contenta alio recedere cogantur,

gantur, verſus eum locum, ubi minorem invenient reſiſtentiam, ſcil. in laxum inferius inteſtinum ; hinc talis inteſtini agentis portio, vermem refert quae dum prorepit, una parte contracta, et hinc turgente, ſequentem quietam adducit. Materia vero chylacea admiſtione bilis et ſucci pancreatici acrior redditur, aptior fit ad inteſtina ſtimulanda, et in contractiones fortiores deducenda ; non tamen exiſtimare oportet haſce alternas contractiones et dilatationes, ſemper in iiſdem limitibus earundem partium agentium verſari, nec alios ſibi terminos conſtituere : adfectis enim, vel infra vel ſupra, aliis inteſtinorum portionibus, abſque ullo certo ordine, nunc huc, nunc illuc, hunc motum perficiunt, ubicunque aër vel cibus ſtimulum admoverit : et cum pondus in tot flexionibus nihil conferat ad alimenti deſcenſum, inteſtinum irritatum in ſtatu naturali, reciproce, nunc ſurſum, nunc deorſum ſe evacuet, idque in bonum finem, tum ut omnia contenta, in inteſtinorum cavitate intime commiſceantur, tum ut chylus in vaſa lactea et venas abſorbentes expeditius ſecedat : hinc it, redit contentum per eandem viam, modo non tam al-

te,

te, et eo usque, unde descendit, regreditur, sed sensim, pedetentimque, data via, succedit.

Ut confirmetur, et clarius elucescat haecce doctrina, liceat mihi historiam profer re ab excellentissimo *Werpero* apud Peyeroum narratam, et sic ait: "Misella mulier, quem et "ipse quoque praesens vidi, ex abdominis "sui latere sinistro, paulo supra inguen pro- "pendentem, gestat interaneorum magnam "portionem; quippe duas, et quod excurrit, "spithmas, longam, in qua, concoctionis "tempore, denudata deprehendimus, et ad- "mota quoque manu, exploravimus fibras, "modo superius, modo inferius, motum su- "um ordiri; materiamque intus fluctuan- "tem sursum deorsumque agitari, absque "aegrotantis dolore aut torminibus." Et addit, "Sed et in diversis brutorum vivis se- "ctionibus, quas variorum experimentorum "gratia crebro administramus, aliquoties "notavimus intestina abdomine dissecto apri- "cantia, sese vermium ritu motitara; non "tantum a superioribus versus inferiores, sed "etiam, vice versa, quoque ab inferioribus "versus superiora."

His jam de motu peristaltico praemissis et stabilitis, motus antiperistalticus facile intelli-

gitur. Si enim propter angustiam, obstructionem, compressionem, aut aliam quamcunque rationem, ulterius pergere non possit materies chylacea, oportet ut, inde regressu facto, ac motu intestini contractili, in adversam partem determinato, rursus ad stomachum unde profluxerat, reportetur.

De ILEO.

ILeus, seu passio iliaca, inter antiquos variis insignitur nominibus; ileus a quibusdam auctoribus dicitur, quia in intestino ileo residet plerumque morbi causa, vel a verbo Graeco, ειλεω, volvo, seu convolvo: in hoc enim morbo intestina saepe circumvolvi et complicari videntur; unde a Latinis volvulus nuncupatur. Aliis χορδαψον, ex eo, quod tumor aliquando circa umbilicum apparebat, qui chordam, veluti tensam et duriter contortam omnino representabat: praeterea a Celso, *morbi intestini tenuioris* nomen huic inditum fuit. Aureliano, *tormentum*; Barbaris vero, *miserere mei*, ob atrocissimos dolores, quibus vexantur aegri, merito quidem, commiseratione Dei hominumque digni, quique medicinae

medicinae auxilium magis implorare videantur, quam alii aliis morbis detenti.

Ileus recte definitur, dolor inteſtinorum acutiſſimus, alvi adſtrictione ſtipatus, dum contenta et aſſumpta verſus ſuperiora propelluntur, per os brevi rejicienda.

Ineunte hoc morbo, adeſt alvi ſuppreſſio, dolore et borborygmis afficiuntur inteſtina, nauſea et ructibus corripitur aeger: ingraveſcente morbo, quicquid cibi vel potus deglutitur, mox vomitu iterum, ſub forma, colore et odore diverſis, gradum revocat, ſtercoris foetore ſaepe inquinatum, abdomen tumidum evadit, pulſus durus et contractus eſt, cum augmento doloris, ſumma ſequitur virium proſtratio, languent, delirant, et ſingultiunt aegri, ſudore frigido totum perfunditur corpus, urina ſupprimitur, vel quandoque turbulenta et putrida redditur, et, ut crediderunt nonnulli, alvi faeces, clyſteres, ſuppoſitoria, &c. vomitu rejiciuntur. Sic refert * MATTHAEUS *de gradibus*, "Puellam quan-
"dam, annos natam duodecim, ileo labo-
"rantem, poſtquam per triduum, non ſo-
"lum faeces, ſed etiam clyſteres injectos vo-
"mitum rejeciſſet, tandem ſuppoſitorium
longum

* Vid. River. lib. ix. cap. ii. p. 153.

"longum in anum immissum, post breve
"tempus vomitu excrevisse. Cum vero,
"deinde suppositorium aliud ad coxam al-
"ligaretur, illud etiam paulo post, ruptis
"filis, sursum ascendit ad ventriculum, id-
"que aegra, cum parte fili appensi, evomu-
"it; et cum tertio, suppositorium aliud qua-
"tuor filis fortibus alligaretur, illud etiam
"paulo post, filis ruptis, per os, cum parte
"filorum, rejectum fuit. Tandem cum
"medicus juberet, ut mater aliud supposito-
"rium admitteret, tanta violentia attractum
"fuit, ut mater, ne rursum raperetur, illud
"extrahere coacta fuit."

Quis, quaeso, nisi credulus, et naturae iliacae passionis ignarus, historiae hujusmodi fidem adhibere potuit. Oportet enim ad ileum perfectum constituendum, viam intestinorum esse omnino praeclusam, et intercepto prorsus itinere, quaecunque supra obicem continentur, per superiora rejici debent. Dubitandum imprimis, an materies faeculenta ullum regressum inveniat per valvulam coli, si vero concedamus, ut sic se res habeat, si obstructio vel obex in intestinis tenuibus, ut plerumque, sedem habuerit, nulla ratione concipi potest, quomodo, vel faeces, aut clysteres, ultra lo-

cum

cum obſtructum tranſgredi debent. Quum vero cauſa, ileum producens in inteſtino colo haeret, ſi concedatur, ut materies faeculenta, ab inverſo inteſtinorum motu, valvulam, apud initium hujus inteſtini poſitam, vincere poſſit, haud omnino negandum eſt, quin omnes faeces inter obicem et valvulam contentae, ſurſum evadent vomitu rejiciendae. Vomitus quidem ille, qui vulgo in hoc morbo faeculenta dicitur, ni fallor, plerumque nihil aliud eſt, niſi cibus atque potus per totum morbi decurſum aſſumpti, qui admiſtione ſolito majore bilis quantitate, abſorptione tenuiorum partium, remora et calore loci, formam, colorem, et odorem inducunt faeculentam; et cum per ſuperiora eliminantur, eaſdem fere ac faeces alvinae, qualitates ſenſibus noſtris exhibent.

CAUSAE.

Morbi cauſae nunc ordinatim indagandae: quaecunque ergo alveum inteſtinalem praecludunt, vel ſaltem tranſitum ingeſtorum ad inferiora prohibent, pro cauſa hujus morbi proxima aeſtimanda ſunt. A triplici vero fonte,

ſonte, haec cauſa originem trahit, ab obſtructione, compreſſione, et a nimia inteſtinorum conſtrictione.

Diſſectione cadaverum ileo defunctorum conſtat, plurimas eſſe cauſas quae inteſtinas obſtruere valeant; et imprimis faeces induratae et ſiccae. Quicquid ergo ſanguinis calorem in vaſis inteſtinalibus adaugere aptum erit, vel excrementorum deſcenſum ad inferiora retardare, faeces indurando ileum remotè excitare poſſit. Ea quae ſanguinis calorem adaugent, ſunt alimenta calida, piperata, &c. exercitium immodicum, ira, gaudium immoderatum, bilis, perſpirationis, ſolitarum evacuationum et excrementorum ſuppreſſio; his omnibus intenditur ſanguinis motus; hinc ingeſtorum partes tenuiores ex inteſtinis avidiſſime hauriuntur, dum craſſiores remanent, et inteſtina obturant. Haec autem quae deſcenſum alimentorum praepediunt, ſunt debilis inteſtinorum compages, bilis quantitatis defectu vel qualitate peccans, mucus ſolito ſpiſſior, et copia nimis parva, ab obſtructione glandularum, quae in concava inteſtinorum ſuperficie reperiuntur, a quibus adeo languet motus periſtalticus, ut faeces

faeces induratae evadant, et morbum iliacum producere queant.

Quod de faecibus induratis dictum eſt, pari ratione dici poteſt de corporibus quibuſdam alienis in inteſtinorum cavitate haerentibus, quaſi calculis, aut ceraſorum vel prunorum nucleis, qui vires coctrices omnino eludunt, magna copia in quacunque inteſtinorum parte, potiſſimum in caeco, uti obſervationes practicae docent, accumulatis et retentis, atque ope muci inteſtinalis in globum compactis. Vermes etiam in faſciculos convoluti et agglomerati, tubo inteſtinali hoſpitantes, mole obſtructionem pariunt, pondere nervos comprimunt. Oſculis ſuis tunicam inteſtinorum internam erodunt et vellicant; hinc dolorem acutiſſimum, et affectum iliacum inducere valent. Tumores quoque ſchirroſi, a quacunque cauſa, inteſtinorum ſubſtantia progeniti, quum eorum cavitatem occludunt, tanquam cauſae hujus morbi proximae conſiderari debent.

Nonne intus ſuſceptio aut inteſtinorum invaginatio, nempe, cum pars inteſtini ſuperior, in proximè inferiorem nimis dilatatam ingreditur, vel vice verſa; potius pro effectu quam cauſa, quae hunc morbum antecedit,

habenda

habenda eſt? hoc inter alia ſuadet, quod talis invaginatio et inteſtini intus ſuſceptio, inveniatur etiam poſt mortem in cadaveribus eorum qui malo iliaco non laborârunt, et ad extremum uſque halitum, nunquam de dolore aut alvi obſtructione conqueſti ſunt; judicandum ergo, ut aliae cauſae concurrere debent ad ileum producendum: ſupponamus tum, vel a tumore ſchirroſo, aut alia quacunque cauſa, aliquam inteſtini partem adeo obturatam, ut contenta a ſuperioribus verſus inferiora iter facere nequeant; facile intelligitur quomodo pars ſuperior ab inferiore hauriatur; materies enim chylacea continuo a ventriculo in inteſtina propulſa, tandem ſupra obicem tanta copia accumulatur, ut ſenſim ſenſimque pondere ſuo et gravitate partem inteſtini obſtructam ſuperne deorſum protrudat. Ab alio quoque fonte, optime deducitur haec invaginatio; ſi una pars inteſtini vehementer conſtringitur, et pars proxima flatu diſtenditur, portio conſtricta facile in eam flatu diſtentam protrudi poteſt; huic autem ſententiae ne gratis ſubſcripſiſſe videar, produco in medium, hiſtoriam a clariſſimo Peyero narratam, de ſectione feminae ileo extinctae, quae ita ſe habet: "* Patefacto

* Vide Peyer. parerg. anat. cap. ix. p. 46.

"tefacto abdomine, ileum alicubi plane con-
"strictum, atque, veluti injecto laqueo,
"strangulatum vidimus, nimirum portio e-
"jus quatuor digitos transversos longa, pluri-
"mum vero contracta ac angustata, intra
"proximae portionis superioris cavitatem
"prorsus abscondita latebat."

Obstructione autem facta a causis suprà dictis, intestinorum tunicae magnam patientur distentionem, intestina verò nervis ditissima distendi nequeunt, quin nervi quibus instruuntur nimium distrahantur; in hac ergo proxima et immediata consistit causa doloris: causa eadem comprimuntur vasa anguifera, ea praecipuè, quae sanguinem ad cor revehunt, venosa intellige, ob laxiorem texturam, causis comprimentibus facilius cedunt; pressione ergo permanente, sistitur omnino, ex arteriarum finibus, exitus humoris vitalis intestinorum substantiam hac in parte perlustrantis; sanguis verò continuo a corde propulsus, contra vasa obstructa, tanta vehementia ruit, ut, iis tandem disruptis, humor hicce in substantiam eorum effunditur; stagnatione loco calido putrescere incipiet, et in pus converti, quod sua acrimonia intestinorum tunicas vellicabit et exedet; unde fixus

atque ſaevus inducitur dolor. Inflammatio verò cum ſuis ſequelis in tali caſu magis pro effectu quam cauſa aeſtimanda eſt.

Secundo; inteſtina duplici modo comprimi poſſunt, primo cum naturalem mutant ſitum, et quae antea in abdominis cavo libere movebant, nunc in anguſto loco repoſita ſtrangulantur, uti contingit in herniis umbilici, inguinum, ſcroti et femorum: duplicatum enim ſemper eſt inteſtinum, et ſaepe duro excremento plenum, ex abdominis clauſtro dilapſum, peritonaeo autem contentum; adeo ſaepe ejus moles augetur, ut priſtinum locum repetere nequeat, atque ibi incarceratum tranſitum omnem contentorum plane impediet (obſervavit Hoffman. quod haec cauſa in foeminis periculoſior ſit): "* In foeminis res eſt majoris periculi, cum proceſſus " ibi ſunt anguſtiores, et difficilius prolapſa " inteſtini portio reponatur: et licet in nonnullarum inguine tam exiguus tumor, ut " vix fabam aequet, protrudatur, tamen ſaeviſſimam hanc paſſionem invehere poteſt.

Tumores etiam in partibus inteſtinis adjacentibus geniti, pancreate, nempe, et meſenterio,

* Vid. Hoffman. vol. 1. ſect. 2. cap. 4. p. 276.

terio, ita quidem conſtituti, ut inteſtina comprimunt, paſſionem iliacam producere valent.

Tertio, Ea quae ſtricturam et coarctationem inteſtinis ipſis inferre poſſunt, ſunt humores omnes acres, inteſtina vellicantes, ut humor gaſtricus, bilis, ſuccus pancreaticus vitiati, ichor acris, pus ex ulcere ibi haerente, a praevia inflammatione, ut in dyſentericis ſaepe accidit, fructus horaei, acres, auſteri, medicamenta acria, purgantia, emetica, venena: ita Caelius Aurelianus, dum de hoc acuto tormento ſcribit, inter cauſas refert venenum cibo vel potu aſſumptum. Haec omnia eorum acrimonia inteſtina ſtimulant, vellicant, ſpaſmodice contrahunt, alveum inteſtinalem penitus conſtringunt, ac proinde hunc morbum producunt.

Symptomata et signa diagnostica.

Se prodit hicce morbus modo ſequente. Ileus incipiens, difficile admodum a dolore colico diſtingui poteſt, quoniam ſecum multa habet ſigna communia; haec autem manifeſte demonſtrant, ileum confirmatum adeſſe, ſcil. dolor ingens et acutiſſimus, modo ſupra, modo infra umbilicum, (magna enim

enim ex parte circa ejus regionem haeret) cum pulſu celeri, duro et contracto, tumor eminens et renitens, ad chordae tenſae ſimilitudinem in abdomine tactu percipiatur, inflatio, et vehemens totius abdominis diſtentio, pertinax alvi adſtrictio, inteſtinorum murmura et flatus copioſiſſimi, ructus inanes, nil ſolaminis praebentes, nauſea intolerabilis, vomitus, pituitae, bilis, et materiae faeculentae, ſtercori ſimilis; rariſſime enim faeces rejiciuntur: ſingultus, delirium, anus aliquando conſtrictus, ſupprimitur urina; denique accedunt ſudor frigidus, copioſus, extremorum frigiditas, cordis tremor, animi deliquium, mors.

Unde proveniant haec ſymptomata, nunc videamus.

Dolor ingens et acutiſſimus oritur, a diſtentione vaſculorum minimorum, atque impetu fluidi a tergo urgentis, contra eum locum ubi latet morbi cauſa; fibrillas autem nervoſas, copioſe per haec vaſa diſperſas, multum inde diſtrahi neceſſe eſt; unde acerbiſſimus excitatur dolor.

Practicis obſervatur, quod in omnibus inteſtinorum inflammationibus, pulſus plerumque durus et contractus, non vero plenus ſentitur; pulſus durus et contractus oritur a corde

et ſimul univerſo vaſorum ſyſtemate, ob vehementem inteſtinorum dolorem et nauſeam, ſpaſmodice affectis; inde enim cor et arteriae haud patiuntur ſe tantum a ſanguine irruente dilatari, ac in ſanitate, quando cor minus irritabile majorem copiam ſanguinis tempore ſuae diaſtoles recipit, hancque dein ſyſtole ſua expellit in arterias, nulla conſtrictione ſpaſmodice affectas. Celer, quia imprimis ſanguis per pauciora vaſa tranſire coactus eſt. Secundo, A dolore ſemper intenditur pulſus velocitas, etiam in illis morbis, qui ex ſua natura minime in febrem vergunt; ut in podagra, lue venerea, &c. patet. Dum enim torquet talis dolor acerbus, fere ſemper aliqua febris adeſt. Dixit et ipſe HIPPOCRATES, "ex vehementibus doloribus obortae "febres diuturnae."

Tumor eminens et renitens pendet forte ab inteſtinorum convolutione; an vero pars ſuperior in inferiorem, vel viciſſim, inferior in ſuperiorem ingreſſa ſit, nullo quidem ſigno dignoſci poteſt.

Inflatio, et abdominis diſtenſio, proveniunt ab impedito ingeſtorum deſcenſu per inferiora, dum ſatis expedite ſurſum non tranſeunt; inteſtinis ergo accumulantur, abdomenque

menque diſtendunt; praeterea aër, qui magna copia cum potu et cibo deglutitur, ſpaſmis nunc ſiſtitur, calore loci rarefactus, ſe expandit, et diſtenſionem auget.

Pertinax alvi adſtrictio. Aſſerit GALENUS, * morbo jam confirmato, hoc proprium et inſeparabile hujus affectus ſignum eſſe, nihil per inferiora deſcendere; alveo enim inteſtinali occluſo, omnia ſupra obicem contenta per ſuperiora eliminantur.

Inteſtinorum murmura et flatus copioſiſſimi; flatus per ductus inteſtinalis ambages diſcurrere probant, vagi inteſtinorum ſtrepitus et borborygmi, per liquida in eorum cava incluſa, paſſim excurrentes nunc has nunc illas elatere ſuo partes diſtendunt.

Ructus inanes. Aër clauſtris liberatus, tranſitum per ſuperiora inveniens, cum ſono et impetu per oeſophagum et os foras exilit; hinc ructus, cauſa vero eadem manente, nil fere ſolaminis praebent.

Nauſea intolerabilis, vomitus, &c. Ineunte morbo, oriuntur haec ſymptomata a nervorum ſympathia, nempe, dolore imo abdomine haerente. Ingraveſcente autem, omnia contenta ab inverſo inteſtinorum motu ſurſum truduntur, quae mole et acrimonia ventriculum

* Vid. comment. in aph. Hippoc. § vii.

ventriculum vellicant, irritant, et in contractiones leviores trahunt, hinc nausea, stimuli vero augmento, hoc viscus in spasmos violentiores deducitur, et omnia sub hoc titulo recensita vomitu immani ejiciuntur.

Ani constrictio et urinae supressio ab eodem fonte originem ferre videntur, scilicet ab irritatione et nervorum sympathia; forte etiam sanguis per intestina tenuia, quae in hoc morbo caeteris frequentius afficiuntur, difficulter circuitum obiens, per vias liberiores deflectere debet, nempe per binas emulgentes, sanguinem ad renes asportantes; ad has ergo arterias, sanguinis portio, quae iter consuetum pergere non possit, transfertur, quod fieri nequit, quin augeatur copia sanguinis renes naturaliter perlustrantis; hic, sanguis nimia copia accumulatus obstructionem et inflammationem producit; nemini igitur mirum, si in ileo nonnunquam contingat urinae suppressio.

Morbo ulterius provecto, oritur singultus et delirium a nervis affectis.

Morituris vero, accedunt cordis tremor et extremorum frigus: pendet cordis tremor ab irregulari influxu spirituum nervorum in ejus substantiam; et cum musculus iste non

valet

valet ſanguinem in extrema vaſa propellere, deficit ibi vividus ille motus et attritus inter ſolida et fluida, a quo, magna ex parte, pendet calor corporis noſtri; hinc extremorum frigiditas, denique animi deliquium et mors tragoediam claudunt.

Quum vero non ſolum pertineat ad medicum morbum praeſentem dignoſcere, ſed etiam in cauſam, a qua pendet, quamvis difficile admodum, inquirere, ut felicem perficiat curationem; pauca de cauſarum ſignis expromere licet.

Si faeces induratae in cauſa ſint, cognoſcitur, praegreſſa et pertinaci alvi obſtructione, abſentia doloris et febris in morbi initio, naturali alvi pigritie, equitatione nimia, vita ſedentaria, immodico corporis exercitio, moerore et animi ſolicitudine, quibus omnibus, jam ante ileum, alvus vel retardata vel cohibita fuerat.

Cum a deglutitis corporibus quibuſdam alienis, dignoſcitur vel aegrorum vel adſtantium relatu.

Vermes in inteſtinis hoſpitantes agglomeratos et ibi congeſtos ſuſpicandum eſt, ſi aegri alias lumbricis ſaepe infeſtantur, ſi vermes ante excreti erant, aut uſu remediorum per

morbi

morbi decurſum excernuntur, ſi cruditatibus acidis obnoxii ſunt, vel ructus acidos morbi ipſo tempore emittant.

Si a ſchirro oritur, tactu aliquando explorari poteſt; in ipſo enim inteſtino recto, tumores hujuſmodi reperiuntur, et digito in anum immiſſo, tactu facile percipi poſſunt. Deprehenditur etiam a duritie praecedente in loco affecto, gravitate, diſtractione continua, nec non a ſchirris interim in aliis corporis partibus evidenter ſeſe exhibentibus.

Intus ſuſceptio plerumque nullis certis ſignis cognoſcitur; aliquando autem inſtar chordae tenſae in abdominis regione percipitur, an vero pars ſuperior in inferiorem, vel viciſſim, nullo certo indicio dignoſci poteſt.

Si ileus ab inflammatione inducitur, ex morbi vehementia, febre acuta continua, ſiti ingenti, calore ſummo, dolore in parte affecta igneo, vomitu bilioſo, et linguae ſiccitate cognoſcitur.

Cum a hernia vel inteſtinorum prolapſu, cauſa patet.

Si ab aliqua acri inteſtinis haerente, ſe manifeſtabit a diris et ſaevis convulſionibus praegreſſis, etiam ab ingeſtis acribus, et venenis brevi antea aſſumptis.

PROGNOSIS.

Signa, quibus morbi eventus, jam determinandus, illuſtrare progredimur.

Quoniam ileus inter morbos acutiſſimos merito annumeratur, et diris ſtipatur ſymptomatibus, intra enim paucos dies aegri perſaepe e medio tolluntur, ſequitur hunc affectum periculi plenum, imo, et ſaepe funeſtum.

Periculum magis vel minus eſt, pro diverſitate cauſae, et morbi vario decurſu et incremento.

Si ab induratis faecibus, deglutitis ceraſorum nucleis, aliiſve duris corporibus, lumbricis agglomeratis, hernia inteſtinali, levi convulſione, &c. originem ducit, ſpes multum ſalutis effulget, ſaltem in initio medelam facilius accipit.

Cum inflammatio ſe praeſentem oſtendit, ni apta methodo fraenatur ſanguinis impetus, inteſtinorum tunicae, plerumque abſceſſu vel gangraena corripiantur, quae ſignis cognoſcitur ſequentibus, repentina nempe et ſubita doloris ceſſatione, ſine cauſa evidente, pulſu debili et celeri, cum magno virium proſtratu, animae et oris foetore. Cum autem hujuſmodi vitia, ex ſe lethalia ſint, praeſertim in partibus

partibus internis, quibus remedia convenientia applicari nequeunt, ileum prorſus inſanabilem, et mortem in limine adeſſe proclamant.

Si ſchirrus aut tumores hujuſmodi hunc morbum inducunt, ſequitur ileum omnino immedicabilem: impoſſibile enim eſt ſat cito cauſam auferre.

Intus ſuſceptio, quòd latet ſaepiſſime cauſa, neque facile detegenda, difficillimum ergo ullam certam facere prognoſin, ſi vero adſit, quum inteſtina invaginata non facile in priſtinum et naturalem ſitum reſtitui poſſunt, praecipue ſi pars ſuperior inferiorem ingreſſa ſit, multo periculo verſatur aeger.

Cum a venenis aſſumptis, niſi propriis remediis in initio a corpore eliminantur, diras plerumque ludunt tragoedias, et citiſſime mortem inducunt.

Signa prognoſtica, quae a morbi decurſu proveniunt, e bonis practicis petenda ſunt; inter quos primarius eſt magnus HIPPOCRATES, ſumma in arte noſtra magiſter, qui haec habet.

" * Cum ileoſis interceptio eſt urinae, cita " mors venit." Impedita enim urinae ſecretione,

* Hippocrat. coac. praenot.

tione, in cerebrum transfertur hoc fluidum, et ſimul cum ileo aegrum cito necabit.

" * Tenuioris inteſtini morbo laborantibus, ſurditas malum." Denotat enim, ut ſpiritus animales ad organum auditûs tranſmitti nequeant, neque valeant ſuo munere fungi; itaque malum tum cerebro communicari, cerebro autem turbato, proſternuntur aegri vires; et non ſolum organa auditûs, ſed etiam fere omnes aliae functiones fatiſcunt.

" † Ab ileo, vomitus, ſingultus, con-" vulſio, aut delirium, malum." Si vomitus aſſumptorum, inſtar materiae faeculentae contingat, ſignum fere ſemper exitiale, praeſertim, ſi morbi cauſa in imo abdomine lateat; arguit enim motum antiperiſtalticum verum adeſſe, convulſiones validas in inteſtinis et profundas haerentes. Singultus notat ſuperius ventriculi orificium, et diaphragma a magna contentorum acrimonia, ex nervorum irritatione convelli. Convulſio et delirium indicant cerebrum valde turbatum, et eventum praedicunt ſatis periculoſum.

Si

* Hippocrat in coac. praenot. § 2. text. 478.

† Hippoc. aph. 10. § vii.

Si ſupervenerit alvi fluvus, cum omnium ſymptomatum remiſſione, faciliſque ſit cibi potuſve per inferiora deſcenſus, bonum; haec enim ſpem ſalutis aegro promittunt.

Methodus medendi.

Optime monuit Hippocrates: "* Si "unquam aliquis in ullo morbo utilitatem at-"tulit, eum juſto tempore attuliſſe neceſſe "eſt:" quamobrem hominum commiſeratio, et medicinae auxilium, in nullo affectu magis implorari videntur, quam in morbo hoc gravi et periculoſo. Quemadmodum vero ileus diverſas et multiplices agnoſcit cauſas, pro earum diverſitate, curatio variari oportet, et hoc ordine quam paucis verbis percurram.

Si ab obſtructione oritur morbus, indicatio erit, ad reſerandam et aperiendam anguſtatam inteſtini cavitatem, quod fit, ejus capacitatem augendo, et materiem occludentem reſolvendo et expellendo.

Raro accidit ileus ſine inflammatione per morbi decurſum ſuperveniente, quamvis ab alio fonte originem ſuam duxiſſet; quare hoc ſymptoma imprimis noſtram attentionem immediate

* Lib. de morbis.

immediate poſtulat ; ſanguinis ergo appulſus ad partem, nondum vel jam inflammatam, praepeditur, et optime tollitur venaeſectionis ope, quae larga manu celebranda, imo ad animi deliquium, et quamdiu ferre poſſunt aegri vires, pro re nata repetenda, donec pulſus plenior et mollior evadat. Enemata blanda, diluentia, refrigerantia ſaepiſſime injicienda, quae conflari poſſunt ex fol. malv. bimalv. pariet. alth. mercurial. flor. melilot. ſambuc. &c. cum ſ. q. aq. coctis, addendo unicuique lib. decoct.ol. oliv. unc. 6 vel 4. forma clyſmatis adminiſtranda. Cataplaſmata ex reſidentia ejuſdem decocti contuſa, et in maſſam pultaceam redacta, propria forma externo abdomini applicata ; loco vero hujus cataplaſmatis, pellis agni ſeu vituli, recens mactati, fotu ſuo bonos praeſtabit effectus. Ad dolorem autem, ſocium inflammationis inſeparabilem, compeſcendum et mitigandum, proſunt anodyna et narcotica, ſecundum medici ſagacitatem propinata. Quoniam aegri plerumque aſſiduis vomendi conatibus vexantur, potus debet eſſe ejuſmodi qui maxime ventriculo gratus, ſaepe ſed parva copia hauſtus, ex ſero lactis, aqua cum pane toſto, aqua hordeacea, addito limonum ſucco, rob.

ribeſ.

ribes. sambuc. uti vult aeger; in usu horum persistendum est, donec morbus perfecte solutus: interim ab omni cibo abstineat, quum alimentum exhibitum, nullum solatium aegrotanti afferat, non enim in nutritionem cedit sed plane corrumpitur, et a ventriculo in intestina prolabens, cum contentis permiscetur atque vomitum auget. Quoad purgantia in intestinorum inflammatione, non nisi admodum lenia, et in parva dosi propinanda; ea quae hunc scopum melius attingunt sunt infusiones cassiae tamarindorum cum manna, syrupus rosarum pallidarum, violarum, &c. cave tamen ne nimis properè et saevientibus symptomatibus exhibeantur.

In initio autem morbi, ni methodo antiphlogistica fraenatur sanguinis impetus, inflammatio saepe in abscessum abit, eo disrupto, pus in intestinorum cavitatem se evacuat, ulcere facto, ea remedia, ulceribus curandis convenientia, detergentia nimirum, exsiccantia, consolidantia praescribenda sunt, quae usque in aegri sanitatem continuari debent.

Si schirrus in ipso intestino genitus ileum produxerit, nullam fere medelam accipit; tumor enim hujusmodi partibus externis vim medicamentorum plerumque omnino eludit: quid

quid ſperandum ergo, quando interne et occulte inteſtinorum ſubſtantia latet? ad protrahendam vero aegri vitam, utatur potu et victu leniſſimo ex pulli juſculo, decoctis, farinoſis, &c. omnia acria ſtimulantia vitanda ne in cancrum degenerat ſchirrus. Sin forte jam adeſt vel jam jam imminet cancer, proh dolor, immedicabile malum; ad ſymptomata autem levanda, dum perſtat vita, remedia anodyna blandiſſima propinari debent.

Si ab intus ſuſceptione ſeu volvulo contingat, curatio celebranda, evolvendo inteſtini convoluti portionem. Hic labor, hoc opus eſt, nullo certo indicio enim dignoſci poteſt, an inteſtinum ſuperne deorſum hauriatur vel viciſſim; quamobrem, minus rectam exiſtimamus methodum eorum, qui globulos plumbeos adhibent, nec non aliquot libros argenti vivi deglutiri commendant, omnibus autem ſupradictis (ubi de inflammatione agitur) incaſſum tentatis, melius eſt anceps quam nullum tentare remedium, praecipue in caſu deſperato; argentum vivum ergo reliquis anteponendum ob mobilitatem et pondus ſuum, nec facile motui inteſtinorum antiperiſtaltico obtemperans, votis forte reſpondebit, ſi ab inferioribus ad ſuperiora

factus

factus ſit tunicarum inteſtinalium ingreſſus, ſin ſecus, hoc eſt, ſi a ſuperioribus ad inferiora inteſtina invaginata fuerint, morbum neceſſario augebit. Quare alii commendant remedium ab Hippocrate * propoſitum; ut follis fabrilis ano adaptetur, † et eo flatus in ventrem immittatur, ad inteſtina dilatanda, et obſtructionem removendam, poſtmodum clyſter emolliens injiciatur, ut faeces educantur. Caelius Aurelianus ‡ hanc methodum improbat, ex eo, quod ventus a folle immiſſus frigiditate ſua multum laedere poteſt. Riverius ad hoc incommodum evitandum, juſſit follem juxta ignem aëre calido impleri. Cognita vero aëris natura et praeſenti inteſtinorum conditione, unicuique patebit, hoc remedium violentum et valde periculoſum atque pro ultimo conamine tentandum eſſe.

Cum faeces induratae et ſiccae, ingeſti ceraſorum nuclei, &c. huic affectui ortum dederint, venaeſectio imprimis locum tenet; quae iteranda frequentius aut rarius, pro viribus et aegri aetate, emollientia et relax-

* Hipp. lib. 3. § 5. de morbis.
† Vid. River. lib. 9. c. 2.
‡ Cap. 17. lib. 3. de morbis acutis.

antia remedia, interna et externa, erunt uſurpanda: inter externa recenſentur, balneum tepidum, fotus, cataplaſmata, &c. ex herbis emollientibus parata. Enemata mucilaginoſa et oleoſa injicienda, quae inteſtina valde deliniunt atque lubricant, ex decoctis altheae, malvae, mellilot. ſem. lin. et foenugrec. vel ex oleo communi ſolo, ad lib. I. nec non decocto capitis et inteſtinorum vervecis, aliaque id genus; poſt uſum vero remediorum emollientium per anum et os aſſumptorum, cathartica et enemata purgantia excrementorum exclusionem magnopere juvabunt; ait vero HIPPOCRATES (quae purgare volueris fluida facere oportet) ſic nempe excrementa duriora, in inteſtinis haerentia et veluti incarcerata, facilius cedunt. Hoc autem incommodo laborant purgantia omnia, liquida forma exhibita, mole ſcilicet ventriculum adeo irritant, qui jam nauſea laborat, ut non citius deglutita, quam ſtatim vomitu gradum revocant. Huic ſcopo melius ſatisfacient, pil. aloët. cum grano opii, nec non granis v. vel vi. calomel. ſcrupulo pil. admiſtis; repetatur ſcrupulum pil. omni trihorio, pro re nata: quum vero expectanda eſt cathartici operatio, injiciatur clyſma qualitate ſtimulante pollens,

quod

quod conflari poſſit ex infuſione ſennae, addendo colatur. aliquot uncias oxymel. ſcillit. et pauxillum ſalis glauberi, dum interim in balneum tepidum deſcendat aeger. A medico praeclaro in academia noſtra hanc methodum bono cum ſucceſſu uſurpatam vidi: ſin morbus huic non cedat, non praetermittendum efficax illud et potentiſſimum alvo cienda remedium, cujus fidem ex experientia faciunt medici practici, id eſt ut immitantur aegri pedes in vas aqua frigida plenum, vel ut deambularet pedibus nudis ſupra pavimentum frigidum, dum ſubito ictu e manu adſtantis poculum aquae frigidae ſuper nudum corpus projicitur, et repetatur inſperſio, uti poſtulat uſus. Hoc remedium cutis poros obturando perſpirationem ſolitam intercipiet, unde magis humectantur viſcera interiora; vel propter motum convulſivum, quem toto ſyſtemati nervoſo conciliat, ſpiritus animales magis commoti et agitati, inteſtina in motus conſtrictivos fortiores deducunt; unde faecum excluſio plerumque ſequitur ſtatim: cavendum tamen ne perperam et intempeſtive tale remedium uſurpetur, ſic enim aeger incidet in ſcyllam, cupiens vitare charybdin. Idem medendi modus

dus valet cum a vermibus agglomeratis oritur passio iliaca; post morbum fugatum tamen propinanda sunt ea quae ad vermes necandos et expellendos apta.

Secundo, Quando a compressione oritur morbus, omni ope enitendum causam comprimentem auferre.

Si igitur herniae, aut intestinorum prolapsus, ileum pariunt, praecipua cura debet esse, ut intestina elapsa in pristinum situm reponantur, quod fiet blanda et prudenti manu chirurgi. Si ab inflammatione impeditur ingressus, ad hoc facilius praestandum, venaesectio instituenda, quae in omni inflammatione, omnibus aliis praecellit remediis. Clysmata emollientia relaxantia injicienda, fotus abdomine externo applicandi, et reductio iterum tentanda; quod si gangraenae metus, vel intestinum adeo tumefactum sit, ut absque chirurgica operatione reduci nequeat, tunc protinus celebranda, cujus operationis methodum chirurgi practici docent.

Si a schirro intestina exterius comprimente, eandem ac schirrus aliarum partium internarum curandi methodum postulat; ideoque aperientia omnia usurpanda; hic aquae marinae usus, si aliqua spes curationis affulget,

aliis remediis anteponendus. In hiſtoria a Doctore Russel narrata, de viro generoſo, qui ileo imperfecto laboravit, a tumore generis ſupra memorati, qui inteſtino infra lienis regionem adhaerebat; brevi autem deceſſit, omnis enim ſpes auxiliandi ſublata fuit, priuſquam medicus de bonis hujus remedii effectibus excogitavit, et haec verba facit: "* Jam autem, ſi eo tempore, pariter ut nunc, marinae aquae uſum perſpexiſſem, inde forſan aliquod ſpei affulſiſſet, non enim aliud quoddam medicamentum novi, quo melius quid diſcutitur, quam marina aqua interne ſumpta, nec quod ſupra dicti morbi curatione magis accomodum videtur; in eo autem caſu per ſe dari oporteret, ut ſervaretur alvus libera; idque prius fieri deberet, quam obſtructio ſeſe penitus ibi confirmâſſet: his etiam et illud commodi accedit, quod et digeſtioni et chylificationi marina aqua prodeſt.

Tertio, Si coarctantur et conſtringuntur inteſtina ab acri materia, eorum tunicas erodente et vellicante; remedia emollientia, diluentia, oleoſa, mucilaginoſa, in uſum vocari debent, ea, nempe, quae particulas a-

cres

* Vide Ruſſel de uſu aquae marinae, p. 40.

cres involvunt, et quasi in vagina includunt, non neglectis in initio venaesectionibus, et sub finem morbi, purgantia blanda saepe, et parva dosi cum opiatis permistis repetita. Pro diversitate autem acrimoniae, medicamenta singulis speciebus contraria, eligenda sunt.

Si a convulsione fibrarum intestinalium, seu inordinato spirituum influxu, uti in morbo hysterico aliquando accidit, conveniunt ea remedia quae morbum primarium auferre valeant.

Post morbum pene fugatum, quamvis aegri avide cibum appetunt, caute tamen adhibendus est; in genere sit facilis digestionis, et talis qui facile in chylum converti possit, atque nutrimentum leve praebeat, non faeces multas nec duras relinquens. Potum habeat ex sero lactis recens facto ne acescat, jure carnium leni, decocto hordeaceo, et sic porro.

F I N I S.